

vel conditionis fuerint, in virtute sanctae obedientiae, injungitur, ut eos omnes, quos Simoniam hujusmodi commisit vel procurasse, aut in ea mediatores esse sciverint, Pontifici praedicto, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, vel per alios revelare quantocius non omitterent.

Notat autem Marcus Paulus Leo in Praxi Penitentiariae Romanae parte 3. c. 30. hanc obligationem hodie non esse in usu, sed in locum illius revelationis successive hodiernam clausulam litteris Penitentiariae inseri solitam qua injungitur Confessario, quod injungit Provisor, ut alios si qui sunt, in praemissis culpabiles quantum potest moneat. Et inducat ad impetrandam a Sede Apostolica absolutionem.

XXXVIII. Ordinatio in supplica pro retentione beneficii simoniace obtenti pro causa dispensationis allegatur, quod beneficium sine scandalo dimitti nequeat. Recte autem observat Pyrrus Corradus loco citato n. 7. quod scandalum non praestet justam causam dispensandi in omni casu prohibito.

XXXIX. Et revera in hac materia, ordinatio verum scandalum fidelium non tam ex dimissione beneficii,

quam ejus retentione timendum est; praecipue si nota sit Simonia.

Imo si ipsum beneficium re ipsa dimittatur, sciaturque etiam ob Simoniam forsitan a parentibus commissam; Provisum beneficio cedere debuisse, natum est contingere, ut vel hoc exemplo plures a Simonia committenda retraherentur; multisque alia imprimeretur de Simonia vitio idea, quae hodie plerisque est impressa: qui fere Simoniam ut *serupulum non intelligentium*, reputant: eo quod videant, passim per temporalia in beneficia intrari, & nullum tamen ut Simoniacum tractari, & a beneficio removeri.

XL. Monet ibidem Pyrrus Corradus: Ut quoad fuerit possit, quavis, quantumvis minima Simoniae labe extrahatur Ecclesiam, a Romana Curia eliminetur, & arceatur, licet ad sint urgentissima causa non ita passim illa admittuntur neque in hujusmodi dispensationibus pro utroque; foro per Dataiam Summi Pontificis, neque per illius Penitentiariam; ubi a me, tot annis illius Praetorio inserviente, satis id compertum est; sibi enim nec favores praevaleant, nec Orationum continua inquantia prodest.

TITULUS XXXI.

De Acceptione personarum vitanda in Beneficiorum provisione.

CAPUT I.

Quid acceptio personarum; & quando haec in collatione Beneficiorum committatur.

1. Quid acceptio personarum?
2. Injustitia distributiva debet attendi proportio secundum merita personarum.
3. Quando in distributione munerum aut officiorum committatur acceptio personarum?
4. In acceptione personarum attenduntur conditiones non facientes ad causam.
5. Quae conditiones non faciant ad causam.
6. Eadem conditio potest facere vel non facere ad causam pro diversitate materiae.
7. In provisione Beneficiorum committitur acceptio personarum, si attendatur conditio non spectans ad causam.
8. Causa distributionis beneficiorum esse debet, de meliori ministro Ecclesia providere.
9. Haec unice in hac distributione attendi debet.
10. Conditio non spectans ad hanc causam, tamen si de se bona nequaquam attendenda.
11. An attendenda indigentia persona?
12. Quid de mandatis in forma pauperum senserit Bartholomaeus De Martyribus?
13. An attendenda paupertas parentum?
14. Quod aliquis sit consanguineus collatoris ad causam facere non solet.
15. Consanguineus omnino excludendus; quin interdum extraneo preferendus.
16. Conferenda merita consanguinei cum meritis extranei.
17. In hac collatione alieno potius quam proprio iudicio fidere debent Collatores.
18. Consanguinitas attendenda cum respectu ad bonum

Ecclesiae.

19. In praelatione consanguineorum specialiter cavendum scandalum.
20. Ob scandalum subinde consanguineus dignior postponendus extraneo minus digno.
21. Ob merita Providendi aliquando scandalum non cavendum.
22. Ex persona collatoris potest fieri ut scandalum sit acceptum non datum.
23. Quare hodie specialiter cavenda consanguineorum promotio?



Personarum acceptio solet definiti, Injustitia, qua praefertur persona personae propter causam indebitam.

Haec autem injustitia opponitur justitiae, quae a Theologis & Juris Consultis vocatur justitia distributiva; secundum quam bona, aut res sunt distribuenda servata proportione meritorum.

II. Unde S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 1. in C. probans quod acceptio personarum opponatur justitiae distributivae ait: „Consistit enim aequalitas distributivae justitiae in hoc, quod diversis personis diversa tribuantur secundum proportionem ad dignitates personarum.

III. Hinc ulterius infert: „Si ergo aliquis consideret illam proprietatem personae, propter quam id quod ei confertur, est ei debitum, non est acceptio personae, sed causa... puta si aliquis promovet aliquem ad Magistratum propter sufficientiam scientiae; hic attenditur causa debita, non persona. Si autem aliquis consideret in eo cui aliquid confertur, non id propter quod id quod ei datur, est ei proportio datum, vel debitum; sed solum hoc quod est iste homo [puta Petrus vel Martinus] hic est acceptio personae: quia non attribuitur ei aliquid, quod propter aliquam causam quae faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personae.

IV. Itaque dicendum: „In justitia distributiva [ rursus verbis S. Thomae loquor ] considerantur conditiones personarum,

personarum, quae faciunt ad dignitatis vel debiti causam. Sed in acceptione personarum considerantur conditiones, quae non faciunt ad causam.

V. Quae autem conditiones referantur ad personam, explicat ipse Doctor Angelicus dicens: „Ad personam autem referuntur quaecumque; conditio non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono. Puta si aliquis promoveat aliquem ad Praelationem vel Magistratum, quia est dives vel consanguineus suus: est acceptio personarum.

VI. Contingit tamen (pergit S. Thomas) aliquam conditionem personae facere eam dignam respectu unius rei, & non respectu alterius: sicut consanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, quod instituat heres patrimonii, non autem ad hoc quod conferatur ei praelatio Ecclesiastica. Et ideo eadem conditio personae, in uno negotio considerata facit acceptiorem personam, in alio autem non facit.

VII. Ex his haud difficulter intelligi poterit, in provisione Beneficiorum toties fieri acceptiorem personarum, & violari justitiam distributivam, quoties in hac provisione attenditur conditio non faciens ad causam propter quam sit dignus hoc dono, sive hoc Beneficio.

Quare S. Thomas art. 2. quaerens, utrum in dispensatione spiritualium locum habeat personarum acceptio, expressè monet in responsione ad 3. quod si in electione ad dignitatem Ecclesiasticam, non pertineat ad negotium id, quod consideratur ut causa, erit manifeste acceptio personarum.

Itaque ut in provisione Beneficiorum servetur justitia distributiva, & evitetur vitium ei oppositum, personarum acceptio; & solae conditiones sunt attendendae, quae faciunt ad causam.

VIII. Cum igitur causa distributionis sive provisionis Beneficiorum sit dare Ecclesiae idoneos Ministros, qui convenient officio propter quod Beneficium datur, consequens est, quod justitia distributiva requiratur, ut servetur aequalitas proportionis ad qualitates personarum ad hanc causam pertinentes; atque ita in hac distributione solus respectus habeatur ad conditiones illas, quae faciunt ut melius Ecclesiae de ministro provideatur.

IX. Hinc collige primo, quod in distributione Beneficiorum justitia distributiva exigat, ut bonum Ecclesiae unice praec oculis habeatur; id est, ut Beneficiorum dispensatores aequalitatem servent proportionis, habito respectu ad qualitates, quae ad bonum Ecclesiae faciunt.

X. Collige secundo, in Beneficiorum distributione non esse attendendam qualitatem personae etiam bonam, si illa ad causam, id est, ut provideatur Ecclesiae de meliori Ministro, non pertineat. Contingit enim aliquam conditionem personae facere eam dignam respectu unius rei, inquit S. Thomas, & non respectu alterius.

XI. Hinc collige tertio, quod licet justitia distributiva saepe requiratur, ut paupertas personae in distributione communium elemosynarum attendatur; nullatenus tamen in Beneficiorum, praesertim cum cura animarum, collatione attendenda veniat: quia priori casu qualitas paupertatis facit ad causam, non vero posteriori. Causa quippe distributionis communium elemosynarum, est succurrere indigentiae personarum, contra causa distributionis Beneficiorum non est succurrere paupertati seu indigentiae eorum, qui ad Beneficia promoventur, sed Ecclesiae digniores Ministros praeficere; seu Ecclesiae, non personis providere; quare cum paupertas non sit conditio ad hanc causam pertinens, si in distributione Beneficiorum illa attendatur ad justitiam distributivam receditur.

XII. Haec optime intelligens nominatissimus ille Braccarensis Archiepiscopus Bartholomaeus De Martyribus non dubitavit coram Patribus Tridentinis acriter reprehendere mandata providendi in FORMA PAUPERUM

dicens: „In proventibus Ecclesiasticis distribuendis spectandam esse doctrinam & virtutem, non paupertatem; cum oporteat consulere muneribus; non hominibus; egentibus subveniendum esse per elemosynas non per Sacerdotia.

Haec Palavicinus in historia Concilii Tridentini lib. 2. 3. cap. 7. num. 7. & supra titulo 23. c. 2. n. 3. latius retulimus.

XIII. Itaque erroneam de Beneficiis Ecclesiasticis ideam habent, qui in horum distributione ad causam pertinentem autumant, quod quis pauperes habeat parentes, quibus posset ex proventibus Beneficii succurrere. Cum enim, ut dictum est, Beneficia Ecclesiastica non sint ordinata ad succurrendum paupertati & indigentiae corporali, sed ut habeantur idonei Ministri Ecclesiae evidens est, parentum indigentiam ad hanc causam non spectare. Imò e contra ob parentum egestatem non ratio fit, ut ea de causa minus idoneus Beneficio Ecclesiastico, praesertim curato, censeretur; notum quippe est, quam frequenter parentum indigentia impedimento sit, ut non ea qua oportet libertate, zelo & vigore, Ecclesiastici functiones suas obant.

XIV. Ex dictis quoque non difficulter intelligi potest, consanguinitatem in Beneficiorum provisione per se non esse conditionem seu qualitatem quae attendi possit; utpote quae ad causam spectare non solet. Nam ut monet S. Thomas, „consanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, ut instituat heres patrimonii, non autem ad hoc, ut conferatur ei Praelatio Ecclesiastica.

Unde ex sententia ejusdem Doctoris, si aliquis promoveat aliquem ad Praelationem, quia consanguineus suus, est acceptio personarum.

XV. Porro, licet consanguinitas per se, non sit conditio pertinet ad causam, non tamen absolute impedit, quò minus ipsi conferatur, modò non ipsius consanguinitatis, sed meritorum ratio habeatur. Imò si consanguinei Praelati Ecclesiastici sint aequè digni ut alii, licet potest absque personarum acceptione consanguineos suos praeferre, ait S. Thomas citata qu. 63. art. 2. ad 1.

Rationem adjungit: „Quia saltem in hoc praeminent, quòd de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter sententiam negotia Ecclesiae tractent.

XVI. Duo itaque exigit S. Doctor, ut Praelatus consanguineo suo beneficium sine acceptione personarum conferre queat.

Primo, ut consanguinei sint aequè digni ut alii. Requiritur ergò ut Praelatus sive Collator beneficii conditiones seu merita & qualitates extraneorum conferat cum qualitatibus consanguinei sui: ritèque expendat, num hujus qualitates ad officium obeundum, propter quod beneficium datur, eum aequè dignum reddant, quam extraneum.

XVII. Hic autem primum attendendum Collatoribus quòd proprium iudicium de meritis ac qualitatibus consanguinei sui semper debeant habere suspectum. Cum enim consistat aequalitas distributivae justitiae, ut ait S. Thomas, in hoc, quòd diversis personis diversa tribuantur secundum proportionem ad dignitates personarum, necessarium est, Collatores conferre inter se qualitates consanguinei & qualitates extranei, ut illis inter se collatis, juxta justitiam distributivam beneficium conferant secundum proportionem ad qualitates personarum. Quis verò negare aut ambigere audeat, quin natum sit contingere, ut affectu naturali egeat sibi propinquos praeventiam, & non nihil exaequati, abripiantur, ut suorum indultiam ad dotes magnificè, extraneorum verò tenuiter aestiment, Quapropter sic, teste Doctore Mellifluo, Plerisque; imò cunctis penè contingere sapientibus solet, in rebus videlicet dubis plus alieno se quam proprio credere iudicio, indubit sapientes atque justi beneficiorum Collatores aut Patrones in adjudicandis meritis consanguinei, plus alieno, quam proprio



proprio erent judicio ; semper verentes, ne carnalis in carnem & sanguinem affectus proprium judicium pervertat.

Hinc quoq; planum est, quod si umquam ad exemplum Apostolorum, Patronis aut Electoribus clamandum sit: Tu Domine, qui corda nostri omnium ostende, quem elegeris; hoc casu clamandum sit; dum caro & sanguis clamant, imò quodammodo cogunt, favendum esse consanguineis; ipsorumq; causà à tramite justitiæ distributiæ esse nonnihil deflectendum, aut saltem non scrupulosè illam esse attendendam.

XVIII. Secundò attendi vult S. Thomas in prælatione consanguinei, quòd idèò præferantur extraneis, quòd de ipsis magis confidere possit Prælati, quòd unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractabunt. Hoc autem ad bonum Ecclesiæ spectare potest: atq; hinc patet, S. Thomam non velle considerari consanguinitatem in provisione beneficij simpliciter secundum se, sed cum relatione ad bonum Ecclesiæ; & quatenus eo casu pertinet ad causam: dum consanguinitas facit, ut utilius Ecclesiæ servire queat.

XIX. Insuper in hac consanguineorum prælatione specialiter cavendum scandalum, quòd & S. Thomas notavit: Eset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi.

Idipsum ante Doctorem Angelicum monet & latius exposuit Piiissimus Parisiensium Cantor in Verbo Abbreviato c. 43. Postquàm enim ostendit, quòd EDIFICENT SION, scilicet Ecclesiam, IN SANGUINIBUS, in peccatis, qui beneficia non pro meritis, sed ex affectu carnali conferunt, querit idem: Sed quid si æquè honestus est, & dignus, ut extraneus? Sed & hoc periculosum est, inquit, nisi probitas ejus extinguat, & excludat omnè infamiam, scandalum & malum exemplum, quòd de facili non fit. Rationem illius verissimam & notandam allegat: Non enim exemplum à bene gestis nostris sumitur, sed à cortice, specie, & superficie illorum, non à veritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii meo utentur exemplo, ut dent suis propter naturam, magis, quàm propter gratiam dicentes: Nonne meis, sicut & ille suis dabo.

XX. Postponendus igitur quandoq; erit extraneo consanguineus æquè dignus, imò nonnumquam dignior, propter scandalum & malum exemplum aliorum: qui merita atq; qualitates ipsius pernoscentes, nec rei veritatem, sed corticem dumtaxat videntes facile hoc exemplo permovebuntur, ut carni & sanguini dent, quòd illi gratia dederunt.

XXI. Non tamen semper ob periculum scandali prætereundos esse consanguineos, sicut insinuat Petrus Cantor & ratio evincit. Dum enim hic periculosum asserit, consanguineum æquè dignum ad beneficium promovere, subjungit hanc exceptionem: Nisi probitas extinguat & excludat omnem infamiam scandalum & malum exemplum. Si quippe contingat eam esse vitæ sanctitatem, eruditionem aliisq; Ministro Ecclesiastico necessarias qualitates, ut omnibus vel parum attendere volentibus, patere debeat eum beneficio vacanti admodum convenire, quis ambigat, quin hujusmodi consanguineo provideri possit, non obstante scandalo non pusillorum, sed potius Pharisæorum: qui cupiditati suæ velamentum querentes, ad rei veritatem nec aspicere quidem volunt, quare si hujusmodi scandalizari dicantur, responderi potest cum Christo: Sinite illos: cæci sunt & dnces cæcorum.

XXII. Potest quoq; nonnumquam contingere persona promoventis consanguineum, ut scandalum si quod sit vitandus, non erit datum, sed acceptum ab illo, qui noluit intelligere ut bene ageret; qui quærens cupiditatis & malitiæ suæ aliquod operimentum, corticem actionis

attendit, non rei veritatem, quam facile videre posset, si vellet.

Quid enim, si ea sit personæ præsentantis in omnibus suis negotiis & actionibus ab omni carnali affectu integritas, ut omnibus attendere volentibus planum sit, quòd non secundum carnem & sanguinem, sed secundum Deum in omnibus procedat? certè tali casu non nisi maliciosè ac pharisaicè judicare aut præsumere quis posset personam illam in promotione sui consanguinei, præter morem suum agendi ordinarium, attendisse carnem & sanguinem; nisi manifestè ex circumstantiis pateret, ipsi à via justitiæ hoc casu deflexisse; ac per consequens ob eminentem virtutem & integritatem personæ promoventis fieri potest, ut scandalum quòd aliàs esset datum, futurum sit acceptum & Pharisæicum.

XXIII. His similibusve casibus sepositis, admodum à consanguineorum promotione cavendum; potiusq; extraneus quàm consanguineus Beneficio præficiendus; tum ut hoc exemplo error ille sive abusus (qui hodie pro lege apud multos invaluit) in collatione beneficiorum consanguineos extraneis, licèt dignioribus præferendi, extirpetur; tum ne promovendo consanguineos, abusus ille magis foveatur & stabiliatur.

CAPUT II.

Beneficia conferenda sunt Dignioribus.

1. Justitia distributiva violatur in distributione Beneficiorum, quoties attenditur qualitas ad causam non spectans.
2. Hinc consequens, digniori providendum esse.
3. Id unanimes consensu docent Canonistæ.
4. Illud & in Patronis laici procedit.
5. Similiter in Permutantibus & Resignantibus in favorem.
6. Non excusantur resignantes in electione minus digni ob consensum Superioris.
7. Interdum Superiores resignationem factam minus digno impedire nequeunt.
8. Jura electionem minus digni reputant validam; licèt peccetur contra justitiam distributivam.
9. Quare jurasimilem electionem habeant pro valida.
10. Electio minus digni erit valida in foro judiciali, tametsi Electores jurent se electuros digniorem.
11. Præsentatio digni emisso digniore est valida: nec institutio negari eo titulo potest.
12. Quid si plures sint Patroni, & dignior & minus dignus à diverfis præsententur?
13. Institutus minus dignus emisso digniore non semper peccat.
14. Quomodo Synodus Tridentina velis institui Præsentatum modò sit idoneus?
15. Synodus nullatenus insinuat, Patronum non teneri præsentare digniorem.

**I**X dictis capite præcedenti constat, toties justitiæ distributiæ violari, quoties in hac distributione una persona præfertur alteri ob conditionem seu qualitatem quæ ad causam non pertinet; sive quæ personam huic beneficio magis dignam non facit.

II. Hinc evidentè consequitur, distributionem beneficiorum fieri debere magis digno. Ut enim rectè advertit S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. Si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem & alius præferatur, oportet quòd hoc sit propter aliquam causam;

quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille qui eligitur magis idoneus: si verò non pertineat ad negotium, erit manifestè acceptio personæ.

Unde tamquam indubitatum ibidem præmiserat: Quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.

III. Observat Covarruvias in Relectione Cap. Peccatum De R. I. in VI. §. 7. n. 4. Communi OMNIUM consensu extat annotatum in Cap. CONSTITUTIS De Appellat. quòd Prælati teneantur Sacerdotio seu beneficio præficere digniorem.

Similiter Prosper Fagnanus ad Cap. CUM DILECTUS de Consuetud. n. 19. asserit: Omnia Jura clamant, ut meliores & sanctiores eligantur; & ideo ait peccat contra justitiæ distributiæ, qui emisso digniore eligunt dignum, ut notant OMNES in Cap. CONSTITUTIS de Appell.

IV. Cum verò Patroni etiam laici, vigore Juris patronatus præcipuas in provisione beneficiorum ad ipsorum præsentationem spectantium, partes obtineant, indubiè & ipsi in hac distributione seu præsentatione justitiæ distributiæ legibus obstringuntur ac per consequens in sua præsentatione qualitates eas dumtaxat spectare jubentur, quæ ad negotium spectant.

Hinc Covarruvias loco citato n. 5. relata opinione Cæsaris Lambertini existimantis, Patronum non obligari, nec teneri ad præsentandum digniorem, sed satis esse, si præsentet dignum, sine ulla hæsitacione pronuntiat: Etenim hæc opinio apud me falsa est. Nam licèt præsentatio Patroni quoties dignus ab eo nominatur valeat, sitque ab Episcopo admittenda, non ex hoc sequitur, Patronum non præsentantem digniorem, immunem esse à culpa peccati in animæ judicio contrahenda: si quidem tenetur Patronus, cui Pontificia constituciones jus hoc dedere, inquirere diligenter, qui sint ad sacerdotia digniores: & eos Episcopis exhibere, ut ipsis Beneficia juris patronatus conferantur.

V. Quin etiam Permutantes & Resignantes in favorem ad beneficiorum distributionem plurimum concurrant, præfertim secundum modernam praxim, notissimum est, & ex dictis titulo De Relinquatione beneficiorum intelligi potest; ideoq; & ipsi in hac distributione leges justitiæ distributiæ servare debent; easq; solas qualitates attendere quæ ad negotium spectant; id est, quæ personam beneficio magis dignam faciunt.

Hinc Petrus Sotus lib. 3. De justitia qu. 6. art. 2. dicere non dubitat, quòd Resignans similiter digniorem & utiliori Ecclesiæ tenetur eligere, cui resignet beneficium, aliàs similem committit in justitiam Prælati qui eligit indignum ad beneficium.

VI. Sed dicent forte Permutantes & Resignantes: Superiorum est, permutationem vel resignationem admittere vel rejicere. Sit ita. Sed quid si Prælati faciliùs forsitan quam oporteret, imò quodammodò indifferenter, ut hodie in aliquibus in more esse videtur, permutationes admittat, num propterea permutantes & resignantes minus digni erunt extra noxam? Nonne ipsi sunt causa, quòd minus digni beneficium obtineant? Si enim in permutatione & resignatione utilitatem Ecclesiæ dumtaxat, sive eas personarum conditiones quæ faciunt ad causam id est, ut melius Ecclesiæ provideatur, attendissent, indubiè dignior promotus fuisset; adeòq; per resignationem minus digno sit, ut Beneficium non distribuatur secundum justitiæ distributiæ.

VII. Deinde hodie in aliquibus Ecclesiis permutationum praxis ita invaluit, ut si Ordinarii Collatores permutationem non prohibent, detur recursus ad Superiorem uti supra titulo 27. c. 2. n. 21. notavimus; ideoq; sæpe non dependet ab Ordinariis rejicere permutationem; tametsi sciant eam cum digniore non esse factam sicuti Ordinari-

us non potest semper recusare institutionem Præsentato à Patrono, tametsi sciat præsentationem non esse factam de digniore secundum leges justitiæ distributiæ.

VIII. Sed dicet quis, sufficit secundum jura eligere dignum; non autem requiritur, quòd aliquis eligat meliorem.

Hanc objectionem sibi format S. Thomas 2. 2. qu. 63. art. 2. in argumento; eiq; his verbis respondet: Ad tertium dicendum, quòd quantum ad hoc, quòd electio impugnetur non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem: quia sic omnis electio possit habere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.

IX. Hoc responsum communi consensu amplectuntur Theologi & Canonistæ, uti videri potest apud Covarruviam loco citato num. 3. ubi notat, quòd jura humana, majorem ad tranquillitatem Reipublicæ, ne tot lites super his prælationibus tractarentur, statuerunt, electio nem, collationem, & institutionem Sacerdotiorum, validas esse, nec debere in discrimen revocationis adduci ob eam causam, quòd dignior fuerit prætermissus electo digno. Etenim si locus esset contrariæ opinionis, & electiones istæ hæc ratione possent revocari, nulla in Ecclesiastica Repub. electio fiet, quæ libus & controversis maxime perniciosus non videretur. Is verò, qui dignum elegerit, eive Sacerdotium, aut munus publicum contulerit prætermisso digniori planè peccatum committit, & perpensà qualitate mortale quidem.

X. Imò tametsi Electores præsentent juramentum, eum eligere, quem credent Ecclesiæ utiliori, nihilominus electio digni emisso digniore erit valida in foro judiciali, uti ibidem notat Covarruvias post Glossam Sanctionis Pragmaticæ: Hoc etenim juramentum (ait) pertinet ad perjurii crimen si Electores existimantes, quemdam ex candidatis dignitatem postulantibus, aut qui ad eam eligi poterant, digniorem esse, eo prætermisso, alterum etiam dignum elegerint; non tamen ob id electio nulla est, nec debet revocari.

XI. Sicuti electio digni, emisso digniore ad evitandas lites, & infinitas discordias, in foro judiciali toleratur, & valida reputatur; ita pariter præsentatio Patroni de digno emisso digniore in foro externo irritari nequit; neq; præsentato denegari potest institutio eo solo titulo, quòd dignior non sit, modo revera dignus sit.

XII. Si igitur à majore parte Patronorum præsentatus sit unus qui sit dignus à minore verò parte qui est dignior instituendus erit ab Episcopo dignus; nec dignior institui potest: cum hic revera præsentatus non sit; sed solus is, qui majorem Patronorum partem habuit, ut notant Canonistæ ad Cap. 3. De Jure Patronatus; & Covarruvias loco citato n. 2.

XIII. Neque Episcopo aut Ordinario imputari potest electio minus digni emisso digniore: quia electio hic non fit ab Episcopo aut Ordinario; sed Patrono, qui elegit è multis Præsentatum. Quem sine respectu ad alios licèt per se Ecclesiæ utiliores, instituire tenetur, modò reverà idoneus sit. Reliqui enim licèt digniores, quia præsentati non sunt, etiam ab Ordinario institui nequeunt: utpote qui solos præsentatos instituire potest.

XIV. Hoc sensu accipiendum Decretum Synodi Tridentinæ Sess. 24. c. 18. De Reforms. quo decernitur, Quòd si jus patronatus laicorum fuerit, debeat is qui à Patrono, no præsentatus erit, ab eisdem deputatis (Examinatoribus Synodalibus) examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.

XV. Nihil quippe hic aliud intendit Synodus, quàm præsentatum à Patrono instituendum esse, si modò prævio examine idoneus repertus sit: tametsi juxta leges justitiæ distributiæ Patrono incumbat digniorem præsentare: